DOMINICI ARUMAEI, ... DISCURSUUM ACADEMICORUM AD AUREAM BULLAM CAROLI 4...

Dominicus Arumäus, Michael Reinhardt, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Σὺν τῷ Θεῷ!

AD CAPUT TERTIUM,

THESIS I.

CUm in rerum natura nihil ſtabile inveniatur, quod non ordine colligatum, aut nihil pulchrū, quod non eodem conſtructum eſt, occurrat. Sanè nec in hominum, & præſertim Magnatum congreſſibus, ordo, utpote contentionibus & rixis, quæ ex prærogativa ſeſſionis oriri ſolent, obvians negligi debet, *Menoch. conſ. 51 n. 1. & ſeqq. v. 1.*

II.

Hinc Carolus noſter, cui decor & gloria S. S. Romani Imperii & honor Cæſareus, Reipublicæ ſalus & concordia illuſtr. Electorum multum curæ cordique fuit non immeritò conſtituit, ut in omnibus publicis actibus & conventibus Archiepiſcopus Trevirenſis è diverſo à fronte Imperatoris conſideat, ſtracks gegen eines Keyſers Angeſicht vber/ Moguntinenſis verò in ſuis diœceſibus & provincia & extra eam in Cancellariatu ſuo Germanico à dextris Imperatoris ſedeat, exceptâ provinciá Colonienſi. In ea enim Colonienſi honor iſte defertur. Colonienſis verò in ſuis diœceſi & provincia. Biſthumb vnd Land/vnd auſſer denſelben in gantz Italien vnd Gallien/ dextrum latus Romanorum Cæſarum occupare poterit. Nam ut Moguntinus per Germaniam, ait *Crantz. lib. 9. c. 29. in Sax.* Sic Colonienſis per Italiam & Galliam, & hujus quidem reſpectu ex conceſſione Trevirenſis, primatum tenet, cui in recompenſationem id datum exiſtimare licet, ut etiam extra Cancellariatum ſuum & provinciam ſtabilem eundemque ſedendi locum ſemper teneat, cùm tamen Moguntinus & Colonienſis ratione locorum varient.

III.

Cum verò Colonienſis non ſolum Archiepiſcopus ſit, verum etiam alios ampliſſimos Epiſcopatus teneat, dubitari poteſt,

eſt, an & in ſuis Epiſcopatibus à dextris ſedere debeat? Et quamvis eadem ratio ſubeſſe videatur in Epiſcopatibus, quæ eſt in Archiepiſcopatu: utrobique enim ut dominus loci conſideratur; attamen quia textus noſter hanc ſeſſionis prærogativam verbis expreſſis ad Colonienſem provinciam duntaxat, cujus intuitu Archiepiſcopus & Elector eſt, reſtringit, non opus eſt, ut in hac re clara ad dubitationes confugiamus.

IV.

Atque hic ſeſſionis ordo Electoribus Eccleſiaſticis tit. hoc noſtro, ſicut & Politicis tit. ſeq. ſuus datus eſt. Inter Principes verò cæteros diſceptandi nec finis nec modus, ait *Knicken verb. ducam c. 2. n.33. de non prov. jur.* Et ſive poſſeſſorium ſive petitorium penſitemus, judicatu difficile eſt, ſiquidem illud & hoc colorare ſolent, &c.

AD CAPUT QUARTUM.

V.

Poſtquam Imperator tit. ſuper. ſeſſionis modum inter Eccleſiaſticos Electores conſtituit, hoc tit. ad Politicos & ſeculares, ut & inter eos omnis diſcordiæ fomes extingvatur, ſe convertit.

VI.

De Origine Electorum priùs aliquid præmittendum venit. Et ſanè nullus in hunc usque diem extitit, qui certi aliquid, quodque non oppugnatum imò expugnatum ab aliis ſit, hac de re tradidit, *Onuphr. Panvin. de Comit. Imp. Sibard. in proœm. de Elect. orig. Heig. lib. 1. q. 3.* Quamvis autem nihil addi detrahive Illuſtriſſimi Collegii Electoralis dignitati poterit, acceptã feramus originem Carolo Magno vel Ottoni III. vel etiam aliis: cum ſufficere nobis debeat, quod origo ejusdem vetuſtiſſima ſit, ſcriptorumque effugiat notitiam. Si tamen Bullam noſtram reſpiciamus, dicendum videtur, nullius Imperatoris conſtitutione, ſed conſvetudine, quæ uſurpatione Juris Electoralis orta eſt, Collegium Electorale ſenſim conſtitutum fuiſſe, *ob princ. tit. 1. ſupr. hîc.* ubi Carolus ait: & *Principes Electores ad electionem hujusmodi juxta antiquam & laudabilem conſve-*

ſecundinem habuerint proficiſci, &c. Arte itaque & latenti uſurpatione veroſimile eſt Electores jus eligendi paulatim ad ſe traduxiſſe, cæterosque Principes, quò minus ſe jure electionis exui ſentirent, ad Comitia cum Electoribus usque ad Caroli noſtri tempora vocatos fuiſſe. Verùm quia propter nimiam multitudinem venientium non raró in diverſas factiones ſtudia eligẽtium impellerentur, ut præter alia exemplo Ludovici Bavari & Friderici Auſtrii, Caroli IV. & Guntheri notum eſt: placuit demum Carolo noſtro his obviando difficultatibus, ut tempore electionis præter Electores, utpote quorum in eligendo præcipuæ jam longo tempore fuerant partes, potentiâque alias familias ſuperabant longe, nulli alii convocarentur §. *injungimus ſupr. c.1. §. cæterùm hîc.* Unus igitur ex Regibus, unus ex Ducibus, unus ex Marchionibus, unus ex Comitibus cum Eccleſiaſticis admiſſi ſunt. Et hi cæterorum Principum nomine ac vice actum electionis peregerunt. *Peucer. Chron. l. 4. in Ottone III. verſ. ſed dolendum.*

VII.

Numerum quod attinet, is ex tit. noſtro ſeptenarius eſſe perſpicitur: Maximè enim ad electionem is numerus accommodatus eſſe videtur, ait *Onuphr. Panvin. in Rubr. verior ſeptem Electorum inſtitutio, &c.* Tribus enim Electoribus ab aliis tribus diſſidentibus, quartus omnem diſſenſionem & diſcordiam tollere poteſt. Verùm & huic rationi numero ternario vel etiam quinario ſatisfieri potuit, diſſidentibus enim duobus, tertius, vel duobus ab aliis duobus, quintus voto ſuo diſſenſionem tollere poteſt.

IIX.

Cur autem Eccleſiaſtici ſecularibus additi? Et quidem illi præteriri non potuerunt, quia conſtat, eos à tempore Caroli Magni ſemper comitiis interfuiſſe. Ideò autem adhibiti fuêre Eccleſiaſtici, ut præcipuè res ſacras tractando adminiſtrandoque & Chriſtianæ Religionis puritatem tuendo ſimulque conſulendo, ſicut Politici & conſiliis & armis, Rempubl. juvarent

& amplificarent. Non negandum autem Eccleſiaſticis Electoribus dignitatem Electuræ cum ſuis ducatibus & dominiis non ut Eccleſiaſticis, ſed imperii Principibus tribui, *Alexander Raudenſis c. 39. n. 83. & 84. de analogis.* Cujus intuitu non uno in loco per diſcurſum Bullæ noſtræ Principes dicuntur *cap. 1. in princ. §. 2. 3. 5. & ſeqq. c. 2. c. 3. c. 4. c. 6. & paſſim.* Nec ab iis ad Pontificem ſed ad Imperatorem vel Cameram appellari ſolet, *Gail. 1. obſ. 30. n. 1. & 2.*

IX.

Porrò ne aliqua in parte Secularibus Eccleſiaſtici Electores inferiores eſſent, nec tamẽ hi per ſangvinis conjunctionem Imperatores attingerent: illi verò cognationis aut agnationis neceſſitudine illis devincti apparerent: factum eſt, ut per modum Quaſi adoptionis Eccleſiaſtici nomine nepotũ ab Impp. honorati fuerint. Poſſunt enim & nepotes adoptari. *l. adoptare ff. de adopt.* Quod primitùs à Friderico III. in Reformatione Francofurti An. 1442. in perſona Theodorici Colonienſis, Comitis de Morſa ob ſingularem ejus gratitudinem factum dicit *Heig. q. 4. n. 61.* poſtmodum in ſubſequentes reliquos Electores Eccleſiaſticos opportunâ derivatione translatum fuit.

X.

Collegii autem Electoralis dignitas & autoritas tanta eſt, ut eidem Germania libertatem ſuam in hunc usque diem ſalvam & utcunque rectam extare ſe debere facilè agnoſcat. Nam non ſolùm incommodis illis, quæ interregno durante facilè oriuntur, maturâ Cæſaris novi electione occurrit, verùm etiam pro Imperii orbisque ſalute, ut ait Carolus noſter *in tit. 12.* ſæpiſſimè ſaluberrima conſilia ſuſcipit.

XI.

Hinc non injuriâ Electores noſtri Regibus comparantur *Dan. Moller. lib. 1. cap. 40. n. 1. ſemeſtr. Warem. ab Erenberg. c. 2 n. 147. lib. 1. de fœder. Schard. in Proœm. de Elector. inſtitut.* Die Churfürſten ſchreiben Königen Ewer Liebe/ vnd nicht Ewer Gnaden/ denn ſie ſind Königen gleich geachtet / *ait Lu-*

Luther. in ſeiner Tiſchrede *c.* 38. Et ideò cùm parem pari ſervire inconveniens ſit, Electorem Imperii non decere more mercenarii militis, ut ſe Regi alicui obliget, putat *Warem. ab Erenberg. d. c. 2 n. 147.* Imò Electores in Collegio Electorali fore conſiliarios ſtipendio Reguli fruentes noluiſſe ſcimus. Quamvis autem Electores comparentur Regibus, Reges tamen non ſunt: Comparatum enim comparato ſimile quidem, ſed non idem eſt, unde & nominibus & inſigniis Regum carent. *Heig. lib. 1. q. 4. n. 51.*

XII.

Ad unitatem verò inter Electores fovendam, ut ait Carolus noſter in proœm. hujus Bullæ & electionem unanimem inducendam ac deteſtandæ diviſioni variiſque periculis ex ea ſequentibus aditum præcludendum in princ. h. t. ſtatuitur, ut in Conventibus Imperialibus aut Electoralibus poſt Archiepiſcopum eum, qui ratione Cancellariatus ſui dextrum Imperatoris latus tenet, primum locum Bohemiæ Rex, tanquam Princeps coronatus & unctus, ſecundum verò Comes Palatinus Rheni, &c. Ad ſiniſtram verò partem póſt Archiepiſcopum, cui Jams illud obtigit, primum locum Dux Saxoniæ, alterum Marchio Brandenburgenſis obtineat.

XIII.

Ratio, quæ à Carolo, cur primus locus Bohemo inter ſeculares Electores aſſignatus ſit, non obſcurè innuit, eo tempore, quo adhuc Ducis nomen habuit, ei locum non primum, ſed alium competiiſſe. Quem inter Electores etiam noviſſimum fuiſſe putat *Crantz. lib. 4. c. 28. in Saxon.* Quod confirmatur *art. 57. lib. 3. Spec. Saxon.* Poſtquam autem Principatus erectus fuit in regnum, priorē locum non retinuit, ut vult *Crantz. d. l.* ſed primus ei inter ſeculares tributus fuit, ſiquidem nonnihil regiæ dignitati decedere videretur, ſi ultimum teneret. Fallit hic *Beuther in conjectura ſua de origine Elector.* dum putat ante Carolum noſtrum nullum Regem Bohemiæ inter Electores fuiſſe; quod contra fidem hiſtoricam: nec in eo aſſenſum

mus.

meretur, quod eundem Carolum claſſes Electorum mutâſſe, & ex ſupremo Marchione Brandeburgico infimum, ex poſteriore Comite Palatino Rheni primum conſtituiſſe, medium verò Saxoni reliquiſſe exiſtimet: Contrarium enim extat cùm in antiqua ordinatione, quam habet *Goldaſt. tom. 3. conſtit. ſub tit. de offic. Comit. Palat.* tùm textu Juris Saxonici, *art. 57. lib. 3. Spec. Sax.* quod longè ante Caroli noſtri tempora incepit.

XIV.

Cum autem ex ordine ſeſſionis metienda ſit dignitatis præeminentia *Knub. c. 2. n. 20. verb. Ducum de non prov.* isque qui primo vel honoratiore loco ſedeat, primum quoq; votum habere debeat, *l. ſpurii §. fin ff. de decurion. Chaſſan. conſid. 14. part. 1. in catal. glor. mundi.* Utique Moguntino ante Trevirenſem votandi jus propter digniorem locum attribui debuit. Attamen Carolus noſter in §. 3. hic non ſolùm Trevirenſi primam vocem competere declarat, verùm etiam hactenus ita obſervatum ſe inveniſſe perhibet. Primitùs autem Moguntino prius votum, poſtmodum Trevirenſi competiiſſe, & demum per hanc Bullam ordinem certum introductum eſſe, credibile eſt, qui tamen nec poſterioribus temporibus obſervatus fuit.

XV.

Mirandum autem, cur Trevirenſi Jus eligendi conceſſum ſit? Multi enim eum non Germanum ſed Gallum eſſe contendunt. Verùm falluntur ii, ſiquidem verè Germanus eſt Trevirenſis Archiepiſcopus: Utraque enim Auſtraſia & ſuperior & inferior à Carolo M. in hunc usque diem ſub Cæſaribus Germanis & ditione Germanica fuit, & Archiepiſcopus Trevirenſis S. Rom. Imperii per Galliam & regnum Arelatenſe Archicancellarius ex eo eſt, quod illa Gallia & regnum Arelatenſe imperio ſubeſſe debeat, *Conradus Peutinger in ſermon. Convival.* Quod intelligendum de ea Galliæ parte, quæ regno Arelatenſi continetur, quæ ſola imperium recognoſcebat, *Freher. ad Petr. de Andlo lib. 2 c. 1.*

XVI.

Minuenda autem hoc loco eſt opinio *Petr. Gregor. Tholoſ.* qui *lib.6.c.13.n.25. & lib.7.c.15.n.18.* Trevirenſem Galliæ nomine eligere Imperatorem putat, ſed ſuo arbitrio ſine mandato & conſenſu Regis Galliarum: Non enim quicquam juris Gallis in electione Imp. competit. E. nec eorum nomine Trevirenſis Imperatorem eligere poteſt. Deinde Trevirenſis, quod fatetur Tholoſanus, ſuo arbitrio ſine mandato & conſenſu Regis Galliarum eligit nomine proprio: E. non alieno, quia alterius conſenſu & mandato eligat neceſſe eſt, *§. præterea. §. princeps ſupr. c.4.* Rectè igitur *Knicken in c.1.n.93. verb. Electorum de non provoc. ſur.* Moguntinus, ait, Trevirenſis & Colonienſis defunguntur electionis munere, tanquam Cancellarii imperiales, uti quod Profani ratione officiorum: alioqui ſequeretur, Palatinum eligere nomine Palatinatûs, Saxonem Saxoniæ, Marchionem Marchionatûs nomine, quod eſt abſurdum, *Freher. d. loco.*

XVII.

Secundum in Electione Imperatoris votum tribuitur Colonienſi Archiepiſcopo, cui etiam competit dignitas nec non officium Romanorum Regi primum diadema regium imponendi, ait Carolus §.3. *hîc.* Quanquam hoc olim quoque coronationis jus Moguntino competiiſſe, non obſcurè ex Schaffnaburg. multis exemplis colligi queat. Factæ autem mutationis, quæ in coronatione Imp. Henrici IV. accidit, teſte Schaffnab. hæ fuêre cauſæ, quia major generis claritas Hermannum Colonienſem quàm Lupoldum Moguntinenſem commendabat: Ille enim Palatinus Rheni, cognomento nobilis erat, *Merſæ. in Herman. annal. Archiep. Colon.* Hic ex Monacho Fuldenſi ad Archiepiſcopatum evectus fuerat, *Idem in Lupold. annal. Archiep. Mog.* Altera fuit, quia conſecratio Aquisgrani intra ipſius diœceſin celebranda contigiſſet. Ex hac ratione in poſteriori jus coronandi poſtmodùm penes Colonienſem immutabiliter permanſit, *Ciſner. in fin. Orat. de Ott. III.* & poſt di-

ctum Henricum IV. inſequentes Impp. hunc honorem Colonienſi reliquerunt. *Petr. de Andlo. c. 6. lib. 2. de Rom. imp. & ibid. Freher. Hartm. Maurus de coronat.* Carol. *V.*

XIIX.

Tertium votum Regi Bohemiæ aſſignatur, & quidem inter Electores Laicos ex regiæ dignitatis faſtigio primum *d. §. 3. hic.* Qui quanquam perrarò adſit conventibus, ait *Hartm. Maurus de coron.* Carol *V. ſub* Rubr. *quo apparatu*, & tractatibus Electorum, neque fœdera pro manu tenenda communi dignitate cum iisdem proximis ſeculis percuſſerit, non operas imperio voluntariasque collationes præſtet, neq; gratuita onera ferat, non denique in circulis illis, in quos imperium digeſtum & partitum eſt, comprehendatur, tamen Elector eſt imperii, & tertium in conſilio Electorum tempore electionis Regis ſuffragium adhibet. Falluntur itaque Canoniſtæ & alii, qui putant, eum non niſi pari numero, diſſentientibus reliquis Electoribus, ſuo voto intervenire: Si enim ex Bullæ noſtræ §. 3 votum tertium & inter Electores ſeculares primum habet, dici non poterit, quod paribus exiſtentibus ſuffragiis ſaltem interveniat, quia ſic non tertium, ſed ultimum obtineret ſuffragium, ineptum quoque erit, eum, qui primo loco ſedet, ultimum ferre ſuffragium, votandique jure inferioribus cedere, contra *l. ſpurii §. fin. ff. de decurion.*

XIX.

Quarto loco Comes Palatinus Rheni ſententiam dicit, *d. §. 3. hic* qui tamen juxta antiquam ordinationem primum habuit, *Goldaſt. tom. 3. conſtit. Imp. de off. Com. Palat.* Quæ quamvis propriè de Hungariæ Palatino à Matthia Rege & ordinibus regni renovata ſit anno 1462. tamen verbotenùs ex vetuſta Francorum ſive Germanorum formula & ordinatione deſumpta fuit *Goldaſt. d. l.*

XX.

Quintum votum Dux Saxoniæ: Sextum Marchio Brandeburgenſis profert, *d. §. 3. hic.*

XXI.

XXI.

Atque hoc ordine ſuffragii dicti Coelectores cæteri vice verſâ Moguntinum, ut & ipſe votum proferat, requirere debẽt, d §. 3. in fin. hic. Quod uti nec ante hanc Bullam, ita nec poſt tam ſemper obſervatum fuit. Nam in electione Caroli V. Moguntinus primus ſententiam dixit, *Sleid. lib. 1. de S. R.* In electione quoque Maximiliani II. prius protulit votum, *relat. elect. Maxim. II.*

XXII.

Votorum perquiſitio publicè an ſecretè inſtitui debeat, cùm nihil hic expreſſum, jure ambigi poteſt. Et quidem in electione Friderici I. Caroli V. Maximiliani II. publicè, in electione verò Adolphi Naſſovii ſecretè dictæ ſunt ſententiæ. Qui poſterior modus tutior videtur. Majore enim cum libertate vota Electorum proferri poſſunt: nonnullos quippe pudor naturalis vel præconcepta opinio de prudentia ejus, qui votum prius dixit, deterret, quo minus id, quod mente cogitant, liberè proferant. Huc ſpectat, quod ait Ulpianus *in l. item ſi 17. §. fin. ff. de recept. arbitr. & c. quia propter, extr. de elect. & elect. pot.*

COROLLARIA.

I.

Imperium Germanicæ Nationis, cùm in decem Circulos diviſum ſit, *Receſſ. Noriberg.* 1522. §. Hernach folgen die zehen Kreiß / ꝛc. non poteſt Imperator alibi, quàm illis in locis, quæ dictis Circulis comprehenduntur, Comitia indicere, *Capitulatio Ferdinandi II. in* §. Deßgleichen ſie die Churfürſten / ꝛc. Unde in Italia aut etiam Regno Bohemiæ, quia Circulis illis non continentur & conſequenter nec Jure Comitiorum gaudent, comitia

tia

ctia agi non poſſunt, *Magnif. & Nobiliſſ. Dn. Præſes in perelegantiſuo Tract. de Comitiis c. 5. n. 31. & ſeqq. usque ad 40.*

II.

Status ad Comitia ſuis, non ſubditorum impenſis & ſumptibus ire Conſtitutionibus Imperii jubentur, *Receſſ. Colon.* 1512. §. Nach dem. & *Receſſ. August.* 1500. §. Wie die Churfürſten auff jede/ꝛc. ideoque ſumptus in itinere erogatos à ſubditis repetere non poſſunt. *Magn. Dn. Præſes d. l. n. 86. 87. & ſeqq.*

III.

An ſolius Imperatoris autoritati & poteſtati competat, Jus Academias erigendi, iisque privilegia, ut Doctores, Licentiatos, Magiſtros creare poſſint, concedendi? Affirmantium opinioni ſubſcribimus, nec Pontificis confirmatione poſtmodùm opus eſſe ſtatuimus.

FINIS.